

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

663.
75.
42

DISSERTATIO PHILOLOGICA,
SISTENS
TRIPLICEM LE-
VIATHANEM A DEO
JUDICANDUM,

Ex *Es.* XXVII. l.

QUAM

DIVINIS SUB AUSPICIIS,
JUSSU
AMPLISSIMÆ FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ,
PRO RECEPTIONE IN EANDEM,
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

PRÆSES

M. JO. BERNHARDUS STEIN,

RESPONDENTE

JOH. GEORGIO BOCK,

REG. PRUSS.

ANNO MDCCXXIII. DIE FEBRUARII.

REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCEL-
LENTISSIMO DOMINO,

DOMINO
LUDOVICO
ab OSTAU,

Sacræ Regiæ Majestatis in Borussia
Ministro Status intimo.

Regni Boruss. Cancellario,
Supremi, quod in Borussia est, Tribunalis
Præsidi,

Et rerum feudalium collegiique Commer-
ciorum Directori,

Hæreditario Domino terrarum Lablack/
Kiesitten/ &c. &c,

CLEMENTISSIMO MUSARUM
MÆCENATI,

Tenue hoc studii Philologici specimen
submissa mente & manu offert,

PRÆSES.



604.

VIR ILLUSTRISIME!

Dudum est, quod virtutum tuarum spendor
 magnumque dignitatis fastigium, quo præ
 aliis emines hominibus, multos invitave-
 rit clientes, pluresque in nominis tui veneratio-
 nem rapuerit. Ingens semper fuit numerus eo-
 rum, qui raras illas atque inusitatas animi tui do-
 tes, quas non nisi sejunctas in aliis, conjunctas
 in nullo fere conspicimus, tacita admiratione pro-
 secuti sunt, sed majus longe & numerosius est

X 2

agmen



agmen illorum, qui Patrocinio tuo frui, atque
sub umbra clementiae tuae quiescere cupiunt. Al-
licuit etiam Musas celebris fama virtutis tuae, ex
quo enim summa Clementia tua ac singularis, in
doctos propensio omnibus innotuit, certatim ad
te, tanquam ad sacram anchoram, confugerunt
Musarum alumni, certatim munuscula litteraria
tibi offerre & veluti in retributionem favorem
tuum ac patrocinium, quod votorum illorum
summa erat, ardentissimis expetere precibus al-
laborarunt. Non postremus ego inter tot, qui
favorem tuum ambiunt, cultores, cum diu igno-
tus tibi & incognitus in exteris latitassem Acade-
miis, redux tandem hanc potissimum occasionem
tibi innotescendi & publicum quoddam devotis-
simi animi specimen edendi, avidis amplexus sum
manibus. Per multum quidem temporis anceps
haesi, an tennes hasce Meditationes Philologicas
Nomini tuo inscribere auderem, probe conscius,

a me




1055
a me nihil eximii aut ejusmodi quid, quod tuis
subjici oculis mereatur, profectum esse. Calcar
tamem fluctuanti addidit animo notissima mihi
omnibus humanitas tua, qua tanquam beneficium
sydas nulli temere gratiæ tuæ radios denegare so-
les. Calcar addiderunt tot benevolentiae testimonia,
quæ Parenti meo non simplice vice exhibuisti,
cujus benevolentiae particulam quandam ipso
hæreditatis jure in me derivatam esse, jucundis
mihi blandior cogitationibus. Confirmato igitur
de prospero successu amplius non dubitante
animo sisto tibi, Mæcenas Maxime, Disserta-
tionem hanc. Non erubesco pagellas hasce ocu-
lis tuis subjicere, persuasissimus, me magnum
quidem, non tamen erubescendum facinus susce-
pisse, dum leve istud opusculum excelso nomini
tuo dedicare conatus sim. Accipe itaque serena
fronte primitias hasce studiorum meorum; Ac-

cipe hoc sinceræ mentis & devotissimi animi do-
cumentum certissimum, quod si tibi placebit,
felicem me & votis damnatum profitebor ratio-
nem sane nactus, quare mihi glatuler Deumque
indefessis implorem precibus, ut quam diutissi-
me te superstitem & invidenda felicitate floren-
tem servare velit, quo eo diutius Regi, Reipubli-
cæ bonisque omnibus prodesse possis. Ita vo-
vet ita precatur omnis, cui virtus curæ cordique
est, & præcipue

VIR ILLUSTRISIME

Tibi devotissimus

JO. BERNHARDUS STEIN.



SYNOPSIS.

Loco proœmii discursus generalis de studio Prophetici utilitate, necessitate & obstaculis præmittitur. §. II. Textus ipse exhibetur & succineta analysi Logica disponitur. §. III. Connexio textus cum antecedentibus sistitur. §. IV. De implemento vaticinii opiniones Talmudistarum, Hieronymi & ejus asseclarum. §. V. Brentii. §. VI. Maji & Cocceji proponuntur & refutantur. §. VII. Nostra sententia de implemento vaticinii indicatur & probatur. §. VIII. Subjectum textus seu DEUS ut summus iudex spectatus, consideratur. §. IX. De gladio divino & variis hujus Metaphoræ significationibus disseritur. §. X. Prædicata & Epitheta gladii divini perpenduntur. §. XI. Objectum vaticinii seu Leviathanes a DEO judicandi introducuntur & difficultates, quæ circa hanc rem occurrunt, indicantur. §. XII. De vocis לויית Ethimologia & vario in scripura usu tractatur. §. XIII. Pari Methodo de vocabulis נחש & תנין agitur. §. XIV. Generales quædam observationes de bellis a propheta descriptis profertur. §. XV. Quidnam sensu litteræ per נחש ברך sit intelligendum, ostenditur. §. XVI. Sententia Bocharti de Zygæna examinatur & rejicitur. §. XVII. Aliorum opiniones de hac re excutiuntur. §. XVIII. Quid proprie serpens tortuosus. §. XIX. Quid draco marinus sit declaratur. §. XX. De sensu harum Allegoriarum spirituali agitur simulque de sententia eorum, qui per Leviathanes omnes Ecclesiæ hostes intelligunt. §. XXI. Opinio Hieronymi, quod diabolus hoc loco per triplicem Leviathanem denotetur, recensetur & repudiatur. §. XXII. Approbatur hypothesis eorum, qui sub simbolo magnarum belluarum magnos Reges representari autumant. §. XXIII. Specialius determinatur quosnam præcipue Reges propheta respiciat. §. XXIV.

A Te




Testimonia interpretum, quae sententiae nostrae favere videntur, adducuntur & adpersis animadversionibus illustrantur. §. XXV. In Epilogo de sensu Mystico vaticinio nostro accommodato describitur.

§. I.



Eminem fortasse tara praefictae frontis esse credo, qui dulcissimum verbi prophetici scrutinium, usu & fructu multiplici abundare neget. Quid enim suavius & pio pectori jucundius obtingere potest, quam si DEum ipsum in verbo suo prophetico loqui & Majestate plenissimum illud *יְהוָה אֱמַר כֹּה אָמַר יְהוָה* toties resonare audit. Habet ceterum & hoc peculiare sibi que proprium studium propheticum, ut mediante illo collatis vaticiniis cum implementis eorum clarissimis de Θεοπειθία S. Scripturae singulari quadam ratione convincamur, ut taceam nusquam melius *θεοσομίαν* verbi divini 2. Tim. II. 15. a Paulo commendatam addisci posse, quam ex scriptis prophetarum, quis enim unquam discrimen legis & Evangelii accuratius observavit quam prophetarum, quos modo durissimis comminationibus terrere induratos peccatores, modo suavissimis promissionibus erigere contritas conscientias videmus. Si haec nondum movent te ad investiganda prophetarum scripta, moveat saltem promissio illa divina: *Μακάριος ὁ ἀναγινώσκων καὶ οἱ ἀκούοντες τὰς λόγους τῆς προφητείας.* Apoc. I. 3. Certe qui beatitudinis a Johanne promissae particeps fieri cupit scripta prophetarum legere & sensum eorum investigare tenetur, etenim quod de Apocalypsi sua hic dicit apostolus, id sane optimo jure de omnibus scriptis prophetis interpretari possumus. Non placet jam omnia enarrare atque discutere impedimenta, quae a studio prophetico quemquam detertere possint. Sunt, qui negligentiae suae aylum quaerunt in obscuritate dictionis propheticae, de qua non solum Pontificii sed & plurimi ex nostratibus conqueruntur & inde occasionem arripiunt studium propheticum, in primis quatenus circa futura adhuc implenda versatur, tanquam incertum & minus utile



tile traducendi (a). Certe non possumus inficias ire, subesse aliquam obscuritatem prophetis, imo lubentes fatemur scripta prophetica multis esse librum clausum & obliatum, Es. XXIX. 11. 12. sed eis tantum, qui carent sapientia divina atque intelligentia, quam Johannes requirit. Apoc. XIII. 18. Qui præjudiciis occæcati lumen ipsis affulgens cernere nolunt. Hisce, inquam, obscurus & non intelligibilis est sermo propheticus, aliis vero, quorum pectora divinis sapientiæ radiis collustrata, verbum propheticum est λύχνος Φαίωσεν Lucerna splendens in loco caliginoso. 2. Pet. I. 19. Et sane turpe videtur de obscuritate stili prophetici queri, cui, si quæ fuit, dudum tot interpretes eruditissimi medelam attulerunt. Alacres modo insistimus vestigiis magnorum illorum luminum, Calovii, Dorschei, Schmidii, Witsii, Gürtleri, Vitringæ &c. experiemur adhibita industria omnes disparituras obscuritatis umbras. Spero itaque & me facile excusatum iri a B. L., quod præsentî Dissertatione Philologica lucem aliquam vaticinio Es. XXVII. 1, quod certe clarioribus annumerari non potest, affundere tentaverim. At fortasse superfluous est labor noster, cum jam tot interpretes, quorum plus quam sexaginta recenset Carpzovius (b) in illustrando Esaia defudarunt, ut vix quicquam dici amplius possit, quod non dudum sit dictum. Verum enim vero si vel mille existerent in Esaia commentatores, non tamen

A 2

cos-

- (a) *Spektat huc celebris illa controversia inter D. Jos. Schwartzium & D. Henr. Muhlum agitata de studio prophetico nostro potissimum tempore excolendo, cujus certaminis historiam exhibet B. D. Joh. Fechtius Lætion. Theol. in Syllogen p. 7. mentem autem suam circa hanc litem Theologicam explanat p. 19. ubi sic loquitur: Incumbant studio isti prophetico & vaticinatorio, quibus otium ad hæc talia est quique nihil aliud habent quod agant &c. Multum displicent hæc verba auctori præfationis præmissæ Petri Allix Kirchen und deutlichen Auslegung der Psalmen Davids ubi præfat. Citat. p. 47. 48. seqq. verba Fechtii modo adducta, tacito tamen ejus nomine, perstringit fusiusque magno argumentorum apparatu refutat.*
- (b) *In Introductione in libros Canonicos V. T. Part. III. cap. 2. §. 10. p. 122. seqq.*



eosdem profundissimum sapientiæ divinæ fontem adeo exhaustisse crederem, ut non remanserint guttulæ quædam ab aliis colligendæ. Superest itaque & nobis spicilegium post messem ab aliis factam, imo si nihil aliud præstitimus, operam tamen tuam, B. L., sublevasse dicendi sumus, legis enim hic conjuncta & in justum ordinem redacta, quæ alias per magna volumina dispersa deprehenduntur. Equum proinde nobis pollicemur judicium B. L. omnino confisi nos absolvendos fore a crimine illo, ac si eruditum orbem inutilibus scriptis onerassetus.

§. II.

Progredimur ad ipsum textum nostrum, ubi verba in fonte Ebræo ita fluentia deprehendimus **ביום ההוא יפקר יהורא כחרבי**

הקשר והגרולה והחוקר על לוינת נחש ברח ועל לוינת

נחש עקלתון והרג את התנן אשר בים *Tempore illo anim-*

advertet Jehova gladio suo durissimo, maximo & validissimo in Leviathanem serpentem rectum & in Leviathanem serpentem toruosum & interficiet draconem qui est in mari. Sublime quid & terribile describunt verba illustris hujus vaticinii (c) stilus magnificus rebus magnis optime accommodatus, res ipsæ tanti sunt momenti ac difficultatis, ut non, nisi summa animi attentione omnique adhibita industria atque cura explicari possint. Ut vero eo feliciter in interpretatione dicti hujus intricati versari possimus, clarosque ac distinctos conceptus de singulis verbis & rebus in textu latentibus nobis formemus, conducit præmittere succinctam Analysin logicam textum nostrum ita disponentem, ut uno conspectu singulas ideas, verbis prophetæ contentas, ordinate atque distincte contemplari possimus.

Ge-

(c) *Notatu digna sunt quæ C. Vitringa circa textum nostrum monet, dum inquit: Oratio prophetæ eum in modum instructa, ac si facere voluisset, ut quod in se magnum & terribile etiam majus & terribilius videatur. Conf. Comment. in Jesaiam Part. II. p. 77. Optime quoque hic applicari possunt, quæ generatim de stilo Esaiæ Michaelis in præfat. in Jesa: §. 8. & Carpzovius Introd. in lib. Canon. V. T. Part. III. cap. 2. p. 109, notarunt.*

Generatim ergo notetur prædici vaticinio nostro *magnum aliquod ac horrendum iudicium DEI in hostes Ecclesie*. Considerandus hic *a*) *Supremus Jdex*, qui in textu vocatur יהוה *β*) *Judicandi* seu obiectum iudicii huius divini sunt tres belluæ (*d*) quarum prima vocatur נחש ברא לוייתן, secunda נחש עקריתן, tertia התנן היתנן *γ*) *Judicii indoles seu modus* consistit partim in visitatione pœnali, partim in occisione, nam יהוה יפקד והרג *δ*) *Instrumentum* quo iudicium perficietur est חרב הקשה והנרולת *ε*) *Tempus iudicii* indicatur phrasi החוקות כיום. Hisce partibus absolvitur specialis dicti nostri analysis, addenda tamen ad connexionem cum antecedentibus & consequentibus eo melius intelligendam. *ζ*) *Causa impulsiva* DEum movens ad iudicium hoc instituendum latet in Versiculo 20. Cap. 26. est Oppressio Ecclesie. *η*) *Consequens seu Eventus* iudicii est florentior Ecclesie status cap. 27. 2.

§. III.

Præmissa Analyti Logica sollicite indaganda venit connexio vaticinii nostri cum antecedentibus, simulque determinandum est tempus, quo illud implementum suum sortitum fuit. Cognoscuntur hæc omnia ex recta explicatione phraseos ביום ההוא, quæ vinculum connexionis est textum nostrum cum ultimis capituli præcedentis versibus arctissimo nexu copulans. Descripserat autem propheta Vers. 20. Cap. 26. afflictissimum Ecclesie Judaicæ statum, quo sub indignatione & ira divina constituta erat, quo pii vi tyrannorum oppressi בחוררי in conclavibus suis tanquam mortui in sepulcris latebant (*e*) & summa animi anxietate expectabant עד יעבור ועם donec transeat tempus indignationis. Causas miserie

A 3

- (d) Bene Aldrovandus observat dici belluas proprie illa animalia quæ humano generi sunt noxia. Correspondet latinum *Bellua* græco *θηρίον*, quod idem de feris & noxiis animalibus dicitur. *Ald. XXVIII. 5. Marc. I. 13. Conf* Cypriani *Continuat. Hist. Animal. Franzii Part. III. cap. 2. num. 2. Monendum id præcipue h. l., ut appareat quo sensu in sequentibus voce belluæ utamur.*
- (e) *Secessionem illam populi DEI in conclavia sua de morte piarum.*

ria hujus exhibet vers. 21. ex quo patet mala illa contigisse propter
 עון ישכ הארץ *Iniquitatem incolarum terre*, terræ scilicet Judai-
 cæ, quæ in V. T. præcipua sedes erat Ecclesiæ visibilis. Iniquita-
 tem autem terræ potissimum in effusione innocentis sanguinis & oc-
 cisione ingenuorum veritatis confessorum seu Martyrum constitisse,
 colligo ex verbis וְגַלְתֶּם הָאָרֶץ אֶת דַּמְדָּם וְלֹא תִכְסֶּה עַל הַרְגוֹתֶיהָ
 : *Et reveget terra sanguines suos nec amplius ob-
 veget occisos suos.* (f) Vindicans hanc innocentis sanguinis profu-
 sionem DEus מִמְּקוֹמוֹ יֵצֵא *Prodibat ex loco suo*, vivum se esse
 judicem & ultorem occisorum martyrum demonstrabat per maxima
 judicia & inde hæc calamitatum catena, quæ h. l. זַמְּוֹנִים vocatur.
 Sicuti vero omnia judicia DEI temporalia certum & definitum ter-
 minum habent, ita & illud, quo Judæi per captivitatem Babylonî-
 cam castigati erant, lætum sortiebatur exitum, afflictos DEus dimit-
 tebat ex carceribus suis Tyrannosque, qui vi aut fraudè eos oppres-
 serant, removebat hæcque omnia fiebant בַּיּוֹם הַהוּא tempore
 illo, quo Leviathanes gladio DEI durissimo & validissimo visita-
 bantur.

§. IV.

Non difficulter jam colligi potest, quæ sit sententia nostra de
 implemento Vaticinii hujus, antequam vero eandem distinctius pro-
 ponamus, juvat paucissimis adducere aliorum opiniones & quid in
 eis

*interpretantur plurimi per conclavia intelligentes sepulcra, quam
 opinionem inter alios defendit quoque Gerhardus in Loc. Theo-
 log. loc. de Resurrectione nec non Joh. Guil. Baierus peculiari
 Dissertatione: De statu pie defunctorum pacifico ex El. XXVI.
 v. 20. Bene autem Dorscheus monet חָרָר b. l. denotare locum
 refugii & receptus quemcunque, quem calamitosi urgente
 necessitate quærunt, Rationes quæ obstant, quod vox חָרָר b. l.
 non possit denotare sepulcrum recenset Dorscheus Annotat. in
 in Esa p. 89.*

(f) *Intelligitur hic sanguis innocens ab impiis Judææ Regibus præci-
 pue autem a Manasse effusus. 2. Reg. XXI, 16. cap. XXIV, 3. 4.
 2. Chron. XXIV. 22. 23.*

eis desiderari possit ostendere. Judæi Talmudistæ, quemadmodum in explicatione prophetarum plerumque ineptire solent, ita pro more suo & hic ineptiunt. Implementum nobilissimi Vaticinii nostri collocant in convivio illo imaginario, quod Messias eorum devotio Gog & Magog aliisque gentibus Judæis inimicis sit celebraturus, tum enim ex eorum persuasione mactatus conspicietur ingens piscis Leviathan (g) tum mactabitur & Behemot bovis sylvester quotidie herbas mille montium depascens, quibus addunt avem prodigiosæ magnitudinis **לֵא אֵין בָּר יוֹכֵר** dictam pariter mactandam. Dapes hæc ex mari, terra & aere collectas Messias consanguineis suis Judæis propositurus perhibetur, quod convivium eosdem adeo exhilarabit ut omnium durissimi exilii calamitatum obliviscantur (b). Piget nugis hæc recensendis diutius immorari, nec placet institutum illorum, qui ex fabulis ejusmodi magna eruere mysteria conantur. Nobis sufficit, si sciamus totum illud convivium Judaicum esse illæpidum figmentum Rabbinorum, quod certe operosam inquisitionem & refutationem non meretur, recensisse enim ejusmodi tricas est refutasse. Accedimus jam ad Christianos interpretes, inter quos antiquorum nonnulli, ut Hieronymus, Sanctius aliique vaticinium nostrum in consumatione mundi & subsecuturo judicio extremo impletum iri autumant. Orta videtur hæc sententia exinde, quod existimaverint interpretes per Leviathanem & Draconem marinum, quorum in dicto nostro mentio fit, intelligendum esse diabolum, quem in extremo judici puniendum & cum impiis ad infernalem stygem

- (g) *Fabulas Judæorum de stupenda Leviathanis magnitudine recenset Cyprianus in Continuat. Hist. Animal. Franzii Part. III. cap. 2. p. 2107. Specimen crassi ejusmodi figmenti est illud quod in Talmude legitur de navigio quodam in dorso Leviathanis navigantis iterque ab una pinna ad alteram tertio demum die absolventis.*
- (b) *Firma adeo spe convivii hujus celebrandi lætantur Judæi ut inter alias jurandi formulas & hanc adhibeant **לֹא אוֹכֵל מִשׁוֹר הַבַּיַּר**: Non manducabo de bove sylvestri, si scilicet hoc quod dico, non fuerit verum. Conf. Varcinii Comment. in Esai. Part. II. p. 241. Cæterum vestigia convivii istius Judaici inveniuntur etiam in Pseudo-Esâra lib. 4. cap. 6. vers. 48. seqq.*

stygem detrudendum fore, constat ex Apoc. XX. 10. Verum totum hoc sistema collabitur tenuesque evanescit in auras si vel unicam illam circumstantiam notemus, quod post iudicium nostro in textu descriptum ponatur florentior Ecclesiæ status in hoc mundo, subnectit enim statim vaticinio nostro Vers 2. propheta verba hæc **לֹא יִהְיֶה עוֹלָם כִּרְסוֹת הַדְּמוֹת כִּרְסוֹת חֹמֶר עֵץ לֵבָנִים**: *Tempore isto*, postquam scilicet DEus vindictam sumserit de hostibus suis, *erit vinea meri, æternis canite illi.*

§. V.

Relicto Hieronymo ejusque asseclis progredimur ad eos, qui implementum prophetiæ nostræ in N. T. ponunt. Eminent inter hos Brentius doctissimus pariter ac piissimus interpres, is ad initia N. T. refert vaticinium, illudque tum impletum asserit, cum verbum Evangelii per totum terrarum orbem ab Apostolis prædicatum regnumque diaboli gladio spirituali oris divini impugnatum atque destructum fuerit, tum enim iudicium ingens ac tremendum expertus est princeps mundi satanas, quem per Leviathanem hoc loco intelligit Brentius, tum eversum diaboli regnum, quod inter filios iræ habet, cum præcones Evangelii veluti spirituales heroes *ἔπλα δύναμις* habentes *προς κατάρασιν ὀχλοματῶν* debellarunt & destruxerunt *πάν ἕναμα ἐπαρῶμενον κατὰ τῆς γνώσεως τῆ θεῶν*. 2. Cor. X. 4. 5. (i) Fateor ingeniosas, eruditas ac pias esse meditationes hæc nec rejiciendas omnino, si modo concedatur non excludi hic posse N. T., quin potius primario in Oeconomia veteri implementum vaticinii nostri sit collocandum. Probant id non solum Antecedentia cum quibus pericopa nostra arctissimo nexu cohæret ut §. 3. demonstratum, sed patet idem etiam ex subsequenter, quicquid enim Verificulo

(i) Duplex videtur implementum vaticinio nostro assignare Brentius. Primum cum Christus ipse in mundum veniens spirituale bellum cum infernali Leviathane suscepit. Secundum cum apostoli per orbem sparsi regnum diaboli & ejus asseclarum invaserunt. Utrouque modo visitatus est satanas per verbum Evangelii, quod hic gladium fortem & durum appellari putat, durus enim & fortis est erga eos qui obstinate vid. Breuii Comment. in Esai. p. 345.

ficulo 9. 10. & 12. propheta differit, genium & indolem V. T. clarissime spirat. Extra omnem dubitationis aleam ponit assertum nostrum. Vers. 13., quo dispersi Israelitæ ex terra Assyriæ & Ægypti colligendi Deumque in monte Hierosolymæ adoraturi perhibentur idque futurum dicitur cum יתקע בשופר גורו Clangetur tuba magna. Impletum autem illud tempore Cyri, cujus edictum Judæis libertatem & potestatem ædificandi templum concedens, fuit tuba illa clangens dispersos Israelitas ex exilio suo Assyriaco & Ægyptiaco revocans.

§. VI.

Pervenimus ad eos qui oraculum nostrum Propheticum ad recentissima N. T. tempora referunt, excidium Babelis Mysticæ seu Everfionem Regni Antichristi omniumque Regum & Principum potentiam Antichristi corroborantium prædici asserentes & conferentes hic ut loca paralela, 2. Thess. II. 3. Apoc XX. 10. Adstipulatur huic sententiæ Majus in Oeconomia V. T. (k) cui & haud obscure accedit Michaelis in notis ad h. l. Nos ambabus largimur manibus, posse per bonam applicationem dictum nostrum ad ultima judicia N. T. referri, sicque satis commode de excidio Antichristi explicari, at primario & immediate ad illa tempora prophetam respexisse, id nobis nulla ratione persuadere possumus. Facile quidem concedimus phrasin ביום הרוי latissimam habere significationem sæpiusque verti posse: *Post illud tempus*, quo significatu eadem occurrit Ef. IV. 2. cap. X. 20. cap. XIX. 18. 19. verum h. l. non esse ita vertendum so ביום הרוי suadent rationes §. 5. adductæ, quibus evidentissime probatum dedimus implementum vaticinii nostri in V. T. esse quærendum. Coccejus interpretum audacissimus in determinando vaticiniorum tempore nostram prophetiam præcise ad Ferdinandi II. tempora restringere videtur, sic enim de Leviathane, qui serpens rectus vocatur, loquitur: *Leviathan impetuosus est Princeps Magnus inter Christianos magno impetu omnia pervadens & prosteruens, qualis nobis visus est is qui totam Germaniam videbatur*

B

de-

(k) l. c. p. 925.

deglutivisse (l). Per Magnum Principem intellexisse Coccejum h. l. Ferdinandum II. ipse discipulus ejus C. Vitringa nos docet (m). Sed vix multos sententiæ hujus affectas inveniet Cocceus, cum enim vel minima probabilitate destituatur nulloque idoneo argumento probari possit hæc hypothesis, corruiit sua sponte.

§. VII.

Post tot sententiarum divortia nostram quoque proferre opinionem eamque brevissimis explicare verbis conabimur. Censemus ad finem captivitatis Babylonice referendum esse vaticinium & implementum ejus potissimum in everfione, Regni Babylonici & Ægyptiaci ponendum. Patrocinaur sententiæ nostræ præter argumenta §. 3. & 5. adducta ex cohærentia textus cum antecedentibus & consequentibus perita præcipue scopus prophetæ, qui requirit, ut post annunciationem tot tristium & Ecclesiam perturbantium factorum adjungatur consolatio quædam in prædictione excidii hostium Ecclesiæ præcipue consistens. Perpetuus hicce mos est Prophetarum, ut tristibus adjungant læta percussosque annunciatione imminentis miseriæ erigant iterum spe meliorum temporum. Cum itaque firmissimus demonstrari possit rationibus prophetam in antecedentibus in primis Cap. 26. vers. 20. loqui de Captivitate Babylonica ac calamitatibus cum eadem connexis, sequitur indissolubili nexu, quod nostro in textu agat de penis illorum hostium, qui ærumnarum Ecclesiæ illatarum causa fuerunt. Erant autem hostes illi primario Rex Babylonice & Ægypti, qui cum sub finem captivitatis Babylonice a Persis devicti & in servitutem redacti sint, patet inde ad hujus temporis periodum referendum esse implementum vaticinii nostri.

§. VIII.

- (l) *Conf. Cocceji Comment. in Esa. p. 332. Non videtur unicum Ferdinandum II. tantum intelligere Cocceus sed simul totam familiam Casaream, addit enim in seqq. Non necesse hic de una persona cogitare, familia habetur, quasi una persona. Certum interim ad illa Ferdinandi II. tempora præcipue Coccejum respexisse.*
- (m) *Comment. in Jes. Part. II. p. 81.*

§. VIII.

Plura adhuc & valida ad sententiam nostram corroborandam afferri possent argumenta ex variis textus circumstantiis petita, ne vero nimis proluxa de implemento vaticinii evaderet tractatio, sponte præterimus reliqua & aciem mentis jam dirigimus ad considerandum summum judicem terribile hocce judicium instituentem. Appellatur is in textu יהוה DEus omnipotens, qui solus infinita potentia sua tanquam אלהי שרי Ecclesiam ab interitu vindicare & contra potentes aggressores defendere valet. Opportune notat Dorscheus voce יהוה speciatim h. l. designari secundam Deitatis personam seu Filium DEI, is enim specialiori quadam ratione ab Abrahamo vocatur אלהי שרי כל הארץ *Judex totius orbis* Genes. XVIII. 25, utpote cui pater cœlestis dedit omne judicium Joh. V. 27. coll. Joh. XV. 1, qui etiam est Dominus vineæ Es. V. 1. descripta. Repræsentatur hic filius Dei ut diligens Pater familias, qui carissimam sibi vineam visitans deprehendit eandem a magnis quibusdam belluis devastatam & misere conculcatam esse, qui propterea omni adhibito studio perniciosas hasce belluas expellere, expulsasque, ne amplius noceant, occidere allaborat. Patet inde visitationem hic descriptam esse poenalem & ab irato numine factam, utpote quæ contra hostes Ecclesiæ directa & cum eorum interitu est conjuncta. Observandum voces יפקד & הרג h. l. denotare plenariam abolitionem & internectionem hostium, occidere enim hic est plane destruere & omnem nocendi vim adimere, ut scilicet hostes Ecclesiæ veluti mortua cadavera omni vi privata nil quicquam amplius adversus Ecclesiam suscipere possint.

§. IX.

Quo vero ingens illud judicium divinum pro dignitate sua magnificis depingatur verbis, addit Esaias descriptionem gladii divini, quo tanquam instrumento DEus utetur in judicandis Ecclesiæ hostibus. Magna Emphasi & significantissimis vocibus concepta sunt omnia, introducitur enim DEus ipse gladio accinctus & judicans יהוה אלהי ויהרגוהו ויהרוקו ברובו הקשה והגדול והחזק *gladio suo durissimo, maximo & validissimo*. Quilibet videt tribui hic Deo gladium *αὐθγαπανάω*, describitur enim DEus tanquam heros fortissimus invictō
B 2 robore

robore gladium in hostes suos vibrans omnesque potentia irresistibili prosterbens. Constat consuetudinem esse prophetis, ut Deo in puniendo constituto tribuant gladium, sic & Esa. XXXIV. 5. 6. mentio fit gladii divini, isque graphice depingitur ut inebriatus ira divina, ut madens sanguine & adipe occisorum. Frequentissime vero filio Dei, quem speciatim voce יהוה hic denotat Esaías, gladium assignat S. Scriptura, (n) ita Pfal. XLV. 4. Messiam alloquitur Pfaltes ירך גבור ערך חגור חרבך *Accinge gladium tuum ad lumbos tuos o heros, pariter & Apoc. IV. 16. cap. XIX. 15, Christus ancipiti gladio dimicans & vincens introducit. Si quæris, quid gladius Deo tributus significet? Respondeo Gladius Dei est infinita potentia divina in judiciis pœnalibus potissimum sese exerens. Evidentissime hoc elucescit ex Ezech. XX. 24, ubi DEUS de Nebucadnezare loquens inquit: *Confortabo brachia Regis Babelis* ונתתי בידו חרבו בידו: *Et dabo gladium meum in manum ejus*, quæ verba C. Vitringa sequenti Paraphrasi illustrat: *Faciam illum, scilicet Nebucadnezarem Regem Babelis, exsecutorem judiciorum meorum & ad ea exsequenda armabo illum potentia mea, judicia enim DEI a potentia ejus suslinentur* (o) Non diffitendum vero, plures adhuc esse significationes Metaphoræ hujus. Verbum divinum appellatur gladius Dei Eph. VI. 17. Es. LXVI. 16. Apoc. IV. 16. Ebr. IV. 12, quo ultimo loco verbum DEI dicitur vivum & efficax & penetrabilior ὑπερ πάντων μαχαιρῶν δόξου. Bellum quoque depingitur sub imagine gladii Jer. XII. 12. Apoc. VI. 4. Probe tamen observandum significationes hæc non esse sibi invicem opponendas sed potius subordinandas. Sic bellum dicitur gladius Dei quatenus a potentia Dei ultrici dependet, pariter & divina illa verbi Evangelii vis nihil aliud, quam effectus potentia Dei est, & ita diversæ hæc phraseos gladii Dei significationes ex uno fonte derivari atque in unam notionem resolvi possunt.*

§. X.

- (n) Christo duplici respectu considerato duplicem gladium tribuit C. Vitringa. 1] Gladium Doctoris, quod est verbum Evangelii, de quo Apoc. 1. 16. agi putat. 2] Gladium Principis, quo judicia sua exsequitur. Conf. Vitringa Anacrisin ad Apoc. XIX. 15.
 (o) Comment. in Jes. l. c. p. 79.

S. X.

Prædicata & Epitheta, quæ gladio divino tribuit Propheta, continentur vocibus הקשו הגרורה הזוקר. Notamus repetitum illud ה non esse absque emphasi, sed voluisse prophetam hac particula auditores suos ad attentionem excitare, ut ad singula Epitheta hic enumerata animi aciem figant & obtupescant ad magnitudinem iudicii terribilis. Non negligenda quoque est observatio illa grammatica, qua constat ה sæpius indicare superlativum (p). Possumus itaque ה הגרורה הזוקר commode cum Junio & Tremellio vertere per ה Durissimum, maximum & valdissimum. Auget etiam hoc Emphasin simulque indicat maximam & potentissimos fuisse persecutores Ecclesiæ, contra quos ingens ejusmodi & tremendum iudicium DEUS instituire necesse habuit juxta tritum illud: Duro nodo durus quærendus est cuneus (q). Ceterum solemus durum vocare gladium qui ex solida constat materia & non facile flecti aut frangi potest. Exprimitur hoc attributo irresistibilitas iudiciorum divinatorum, quod scilicet pœnæ hostibus Ecclesiæ imminentes nullo modo impediri aut declinari possint, utpote quæ firmo ac immutabili decreto divino definitæ sint. Si sermo esset de gladio Dei spirituali seu verbo divino, posset illud aptissime gladius durus appellari, comparatur enim malleo saxa comminuenti, Jer. XXIII. 29. (r). Progredimur ad secundum attributum gladii divini, quod est Magnitudo. Magnus dicitur gladius Dei, quia magnam hostium stragem edet, quæ magnitudine sua toti orbi innotescere deberet. Similis ejusmodi strages gladii divini conspici potest, Es. XXXIV. 5. 6. nec non in excidio illo Gog &


B 3

Ma-

(p) Vid. Michaelis Grammat. p. 62.

(q) Conf. Poli Synopsis Critic. Tom. III. p. 263.

(r) Non possumus hac occasione silentio præterire mendam illud notabile septuaginta interpretum, qui ה קשו חרב plane incongrue translulerunt per περὶ ἡμῶν ἄγχιον quasi hostes Ecclesiæ sancto gladio Dei sint visitandi. At videntur procul dubio septuaginta pro ה קשו legisse קשו, qui error vel ex precipitantia vel ex vitioso codice, quo usi, derivandus est.



Magog, Ezech XXXIX. 17. descripto, ubi omnes aves cœli & animalia terra invitantur ad מַבְּטָלִים וְכֹזְבֵי גִּבּוֹרִים *Mactationem magnam*, quam edet Jehova gladio suo ingenti. Ultimum attributum gladii divini est Fortitudo, a qua appellatur רִמְקוֹרִי. Certe opus erat gladio forti, quia hostes Ecclesiæ erant fortissimi ac potentissimi. Non incongrue etiam gladium Dei ideo fortem vocari dices, quod a forti brachio Dei vibratur, Jos. XXII. 22. Psal. XXIV. 8. En Exod. I. 3. 9 collat. Exod. VI. 1. habes יַד רִמְקוֹרִי manum illam fortem quæ hunc gladium summa potentia in hostes suos vibrat. Si implementum vaticinii nostri consulamus & juxta illud inquiremus, quid h. l. per gladium Dei durum, magnum & validum intelligatur, vix aliter quam de bello Monarchiæ Babyloniciæ & Ægyptiacæ a Persis illato illud interpretari possumus. Optime augusta prædicata gladii divini conveniunt huic bello, fuit enim bellum longe maximum & durissimum, utpote quo tota Monarchia Assyrico Babylonica destructa & cum ultimo Rege suo Belshazare fatalem interitum perpessa fuit. Es. XIII. & XIV. Jerem. L. & LI. collat. Dan. V. 30. 31. Pari ratione & bellum illud Ægyptiacum a Cambyse Persarum Rege susceptum & confectum fuit longe crudelissimum totalem Regni Ægyptiaci destructionem afferens. populumque liberum & potentem Ægyptiorum sub durum Persicæ Monarchiæ jugum redigens.

§. XI.

Supereft adhuc, ut id, quod in vaticinio nostro maxime intricatum & determinare difficillimum existit, id est, objectum iudicii divini seu judicandos consideremus. Introducit hic propheta tres belluas magnas, quarum primam appellat נָחַשׁ בְּרַח tertiam לַוִּיתָן נָחַשׁ עֲקָרָתוֹן *הַתַּנִּין אֲשֶׁר בַּיָּם*. Labyrinthum nos ingredi videmur, cum tot sententias doctissimorum interpretum de vocibus hisce difficilibus contemplamur, adeo nullus fere est, qui non peculiari ratione has voces vertit aut singularem opinionem de iisdem fovet. Vix aliud jam suppetit consilium, quam ut distincte & ordinate in omnibus procedamus & quantum fieri potest claros conceptus de singulis vocibus nobis formemus; ad hoc autem institutum conducere arbitror, si primo dispiciamus, quem sensum voces נָחַשׁ & לַוִּיתָן הַתַּנִּין in aliis Scripturæ locis habeant, postea

postea determinemus certos characteres atque criteria, ex quibus di-
judicare licet, quæ belluarum species nostro in textu per has voces
designentur, quibus præsuppositis mentem nostram libere de sensu
rerum & vocum proponemus & dissentientes brevi discussione no-
tabimus.

§. XII.

Ante omnia sensum vocis לוייתן inquirentes ex S. Scriptura
præmittimus derivationem ejus. Triplici autem modo vox לוייתן
potest derivari. Sunt qui לוייתן compositum esse putant לוייתן
רנין, quod significat *conjunctionem draconum, quasi in uno Levi-
thane plurimi dracones conjunctim conspici possint*. Rejicit hanc de-
rivationem Bochartus recte monens simplicem esse vocem לוייתן cu-
jus ultima sillaba תן pertinet ad formam vocis æque ut in נוושתן
עקרתן &c. (s). Melior certe est derivatio quam Lexicographi
plerumque subministrare solent, dum לוייתן deducunt a Radice
לוייתן Adhæsit, adjunxit, conjunxit. Juxta hanc deductionem
לוייתן denotat *animal cujus membra & squame instar clypeorum fer-
reorum arctissime inter se coherent*, tali enim forma sistitur Levia-
than Job. XLI. 7. 8. 9. Sed aliam adhuc in derivando viam ingre-
ditur Bochartus nomen לוייתן ab Arabico לוי vel לויתן deducens,
quod significationem flectendi & contorquendi habet. Denotat itaq;
secundum mentem Bocharti vox Leviathan *sinuosum & in plures spi-
ras volubile animal*. Hæc deductio multum conducit ad synonymiam
inter voces לוייתן & רנין demonstrandam, quo fine & affert illam
Bochartus magno argumentorum apparatu probans לוייתן & רנין esse
synonyma, cui sententiæ nos quoque lubentes subscribimus. Ce-
terum propriam vocis לוייתן significationem & usum in S. Scriptura
optime determinare possumus ex loco illo classico Job. XL. 25 &
cap. XLI. toto, ubi DEus ipse copiosam Leviathanis descriptionem
profert & ex magno hoc operum suorum specimine evincit omnipo-
tentiam suam. Haud exiguus exstat interpretum numerus, qui per
Leviathanem h. l. Balænam intelligunt, cui opinioni plurimi antiquo-
rum & inter eos ipse Lutherus noster, nec non Boëtius & Andreas
Osiander in bibliis latinis favent. Contra Crocodillum per Levia-
thanem

(s) Conf. Hierozoic. Part. II. lib. 5. cap. 16. p. 769.

thanem Job. XL. & XLI. descriptum designari probant imo evidenti-
 tissimis argumentis demonstrant Pfeifferus (t) Bochartus (u) & re-
 gentissime Michaelis (x) nec non Scheuchzerus in Physica sacra Jo-
 bi (y). Nos ultimæ sententiæ, circa quam consensus eruditorum
 certior est, (z) omnino ad stipulamur, & confirmamur in eadem,
 si attenda consideratione vers. 5. 7. 8. 14. 18. cap. XLI. perlustramus,
 quicquid enim de terribili ordine dentium Leviathanis vers. 6, de
 squamis & spinis arctissime instar Clypeorum inter se coherentibus
 vers. 7. 8. 9, de collo vers. 14. de duritie cutis vers. 18. 20. differi-
 tur, optime Crocodillo minime Balæna tribui potest, Balæna siqui-
 dem nec dentes nec squamas nec collum nec duram cutem habet,
 cutis enim balænae est glaber & telo quovis acuto facile perforari
 potest. Non convenit quoque balænae, quid cap. XL. vers. 30. 31.
 dicitur, quod scilicet כנעניי seu mercatores non gaudeant de cap-
 tura Leviathanis nec illum inter se dividere possint, balænam enim
 non solum capi & dividi posse, sed & opimis spoliis suis sæpe mer-
 catoribus argumentum gaudendi præbere, testatur experientia. Ex-
 stant & alia S. Scripturæ loca, ubi vox Leviathan commode de Cro-
 codillo exponi potest, ut Job. III 8. Ps. LXXIV. 14, unicum tamen
 est dictum, quo לויתן vix aliter quam per balænam verti potest,
 scilicet Ps. CIV. 25. וזה הים גורל ורחב ימים. *Hic oceanus
 magnus & latus circum circa.* Vers. 26. שם אניות יהלכון. *Naves
 ibi incedunt, Leviathan iste, quem formasti ad ludendum in illo.* Certe in Oceano amplissimo,
 quem naves transeunt, non quaerendus est Crocodillus animal fluvia-
 tile raro aut nunquam littora maris frequentans, nulla itaque ratio
 est cur dubitemus, balænam hic esse intelligendam, cui & optime
 το ludere in mari convenit.

s. XIII.

Synonymum Leviathanis est רתנין, quæ vox diversissimas ite-
 dem

(t) *In Dubiis Vexatis ad b. l.*

(u) *In Hierozoico Part. II. lib. 5. cap. 16. & 17. p. 770. usq. 791.*

(x) *In Annotat. Ulterior. in Hagiogr. Tom. II. p. 541.*

(y) *p. 446.*

(z) *Teste Ludolfo in Comment. in Hist. Æthiop. p. 159.*

dem significationes habet in S. Scriptura. Generatim describi potest
 dem quod denotet belluam quamlibet magnam sive terrestris sit,
 sive fluviatilis, sive marina. Pro terrestri bellua accipitur, Es XIII. 2. 2.
 Ps. XLIV. 20. Es. XXXIV. 13. & in omnibus illis locis, ubi תנין
 tanquam animal deserta & solitudines incolens depingitur ut Jerem.
 IX. 10. cap. X. 22. Malach. I. 3. Contra aquatile animal denotat
 תנין Gen. I. 21. Ps. CXLVIII. 7. In specie Crocodillum sapius in
 sacro codice vocari תנין multis exemplis probat Ludolfus (aa). Sic
 Ezech. XXIX. 3. Pharao Rex Aegypti appellatur הַתְּנִינִי הַגָּדוֹל
 וְאֶתְרוֹ הַתְּנִינִי הַרְבֵּץ בְּתוֹךְ יַרְדֵּן וְאֶתְרוֹ הַתְּנִינִי הַרְבֵּץ בְּתוֹךְ יַרְדֵּן
 suorum (bb). Pari ratione & Ezech. XXXII. 2. ubi itidem de Pha-
 raone sermo est, propheta inquit וְתִנְיָנִים וְתִנְיָנִים וְתִנְיָנִים
 וְאֶתְרוֹ הַתְּנִינִי הַרְבֵּץ בְּתוֹךְ יַרְדֵּן וְאֶתְרוֹ הַתְּנִינִי הַרְבֵּץ בְּתוֹךְ יַרְדֵּן
 Tu autem similis es Crocodillo in lacubus (cc) & eru-
 pisti cum fluminibus tuis. Denique & pro balæna poni תנין patet
 ex Job. VII. 12. תנין הַיָּם אֲנִי הָיִיתִי הַיָּם אֲנִי הָיִיתִי הַיָּם אֲנִי הָיִיתִי
 balæna? Ex asse itaque conveniunt תנין & לוֹיִתָּן, ambæ enim vo-
 ces a cognatis radicibus descendunt, (dd) ambæ significationem
 crocodilli & balænae admittunt, probat etiam synonymiam horum
 vocabulorum exinde Bochartus, quod promiscue unum pro altero
 ponatur apud Rabbinos, quibus ut linguæ Ebrææ peritis hoc passu
 autoritas omnis denegari non potest (ee). Superest, ut paucis ad-
 hue

(aa) In Comment. ad Hist. Aethiop. p. 159. seqq.
 (bb) Per תנין b. l. denotantur brachia Nili, in quibus magnam
 Crocodillorum multitudinem reperiri testantur Geographi.
 (cc) תנין saepe significare magnos lacus Oceani instar patentes pro-
 bant loca Gen XIV. 3. Num. XXXIV. 11. Hinc & distinctionis
 ergo Oceanus appellatur in S. Scriptura יַם גְּדוֹלִים Jos. XX. 12.
 Ps. CIV. 25.
 (dd) Cyprianus in Continuat. Hist. Animal. Franzii Part III p. 2063.
 Vocabulum תנין derivat a Radice Arabica تَنَنٌ flexit, incli-
 navit inde & עֵין הַתְּנִינִי Fontem draconis, cujus Neb. II. 13.
 mentio fit, a fluxu tortuoso sic dictum arbitrat. Pulcre hæc
 conspirant cum derivatione vocis לוֹיִתָּן, quam Bochartus suppe-
 ditat vid. §. 12.
 (ee) Utiles nonnunquam explicationes vocum proferunt Rabbini; ast

huc attingamus vocem נחש, quam proprie serpentem denotare tyronibus quoque notum est, bene tamen observat C. Vitringa sapius hanc vocem in latiori significato accipi atque denotare animal quoddam serpenti quoad figuram externam simile. Ex hac observatione intelligi potest, quare נחש sapius ponatur pro חנין & vice versa חנין pro נחש, qua ratione alternant hæ voces Exod. IV. 3. coll. Exod. VII. 9. 15. Conveniunt sane quoad figuram externam maxime serpens & draco mole corporis tantum inter se diversi. Sed & pisces marinos appellari נחש probare cupit Bochartus ex Amos. IX. 3. אִם יִסְתָּרוּ מִנֵּי עֵינַי בִּקְרָעֵי הַיָּם מִשֵּׁם אֲצוּרָה

אִם יִסְתָּרוּ מִנֵּי עֵינַי בִּקְרָעֵי הַיָּם מִשֵּׁם אֲצוּרָה וְנִשְׁכַּם אֶרֶץ הַנְּחָשׁ : Si occultentur coram oculis meis in profundo solo maris, precipiam ibidem serpentibus, ut mordeant illos. Non probabile videtur Bocharto, dari serpentes proprie dictos in profundo pelagi abyssu, belluas itaque marinas voce נחש ab Amoso designari concludit (ff). Verum lis adhuc sub iudice versatur, nec ab omni scrupulo res liberata apparet. Certe serpentes aut angues marinos dari Cyprianus & Vitringa magno conatu affirmant (gg). Tandem & sydus aliquod cœleste nomine נחש venire colligit Bochartus ex Job. XXVI. 13. כִּרְחוּ שָׁמַיִם שִׁפְרוּ חֲלָלָה יִרֶוּ נֶחֱשׁ כֶּרֶחַ

כִּרְחוּ שָׁמַיִם שִׁפְרוּ חֲלָלָה יִרֶוּ נֶחֱשׁ כֶּרֶחַ : Spiritu suo celos, pulcros facit format manus ejus serpentes pellit. Per נחש כרח non solum sydus aliquod intelligunt, sed & accurate illud determinare audent R. Levi & Abenezra, quorum hic draconis sydus, ille viam lacteam putat a Jobo designari. Modestior hisce Bochartus in re ignota non audet temere quicquam definire. At tamen plane non opus esse sydus aliquod cœleste h. l. confingere pluribus demonstrat Coccejus in Lexico Ebræo (bb).

§. XIV.

in explicatione rerum sub involucria vocum latentium plerumque occurrunt, optime proinde ab Augustino comparantur bajulis cæcis, qui specula polita in manibus gestant, in quibus alii multa vident, ipsi nihil vid. Waltoni Prefat. Bibliorum Polyglor.

(ff) In Hierozoico Part. II. lib. 5. cap. 13. p. 747.

(gg) Cyprianus in Continuat. Hist. Animal. Franzii Part. III. p. 2066. Vitringa Comment. in Jes. Part. II. p. 78.

(bb) Notari merentur, qua Coccejus circa hanc rem monet h. c. p. 117.

§. XIV.

Evoluta Synonymia & Æquivocatione vocum לֵיָתֵן נָחֻשׁ & נִינְיָא
 viam quasi nobis stravimus ad accuratiorem textus nostri cogni-
 tionem perveniendi. Antequam autem textum ipsum aggrediamur
 & specialius determinemus, quales belluas propheta intelligat, juvat
 præmittere generales quasdam observationes ex ipsis dicti nostri vi-
 scribibus erutas & scitu adeo necessarias, ut absque cognitis hisce
 prærequisitis mentem prophetæ vix recte intelligere possis. Obser-
 vandum itaque 1) occurrere in textu nostro tres distinctas inter sese
 belluas easque describi ut maximas, terribiles & noxias. Esse tres
 belluas, quas propheta recenset, distinctas a se invicem patet par-
 tim ex distinctis nominibus partim ex prædicatis diversis, quæ unam-
 quamque belluam satis ab altera discernunt. Maximas autem & noxias
 intelligi belluas, vel inde colligi potest, quod hæc bestia symbolum
 maximorum & crudelium Tyrannorum Ecclesiam Christi diris per-
 secutionibus turbantium exhibere debeant 2) Notandum non igno-
 ta monstra sed nota judæis animalia a Propheta describi. Dubio hoc
 caret, si cogitemus in Judæorum potissimum solatium scriptum esse
 hoc vaticinium & propterea sic loqui præsumendum esse prophetam,
 ut a conterraneis suis judæis potuerit intelligi. 3) Non negligendum
 etiam, quod perpetua sit oppositio inter tres hæc belluas, ita ut
 serpens rectus opponatur tortuoso, uterque draconi Marino. Ar-
 guunt hoc opposita nomina & prædicata, ex quibus non solum di-
 stinctas inter se belluas, sed & oppositas sibi invicem & contrariam
 naturam atque qualitates habentes recte colligere possumus.

§. XV.

Præmissis necessario præmittendis caput negotii jam aggredia-
 mur ac dispiciamus, quales belluas sensu literæ propheta intelligat.

C 2

Ante

ubi inquit: Sunt qui putant hic sydus cœleste notari, qui sibi
 videntur copulare *considera*, si de bellua aquatili accipiant,
 sed ex textu clarum est, Jobum summa imis conjungere. Et
 vero hoc ipso commendatur divina potentia & providentia,
 quod idem uno tempore omnia summa & ima ubique facit,
 conservat, gubernat.

Ante omnia hic considerandus Leviathan, qui נחש ברח cognominatur, quo intellecto reliqui sua sponte innotescunt. Si interpretes consulamus aut versiones de difficillimis hisce vocibus evolvamur, mirificum inter easdem dissensum deprehendimus. Sic vocem לוייתן modo per balznam, modo per draconem vertunt, modo absque ulla versione, acsi nomen proprium esset, relinqunt. Pariratione & circa sequens נחש ברח discrepant. Septuaginta, quibus Arabs interpres nec non Michaelis in notis ad Bib. Ebr. accedunt, vertunt נחש ברח per οφις Φευγοισα. Contra vulgata Hieronymi versio reddit *serpentem vectis*; Junius & Tremellius *serpentem oblongum*, Vatablus *serpentem penetratorem*, Coccejus & S. Schmidius, *serpentem impetuosum*, Theodotio *serpentem robustum*, Forerius *serpentem teretem seu lubricum*, Lutherus *Eine schlechte Schlange* cui subscribit Vitringa, dum נחש ברח vertit *serpentem Rectum*. Placet nobis ultima versio Lutheri nostri, cum qua plerasque praecedentium versionum conciliare possemus, si operae foret pretium, notamus interim magnam illam versionum discrepantiam oriri partim a diversa derivatione vocis ברח, partim a varia consideratione vocabuli Vectis. Quidam ברח immediate a Radice ברח deducunt, quae notionem fugiendi importat, & hinc ברח נחש vertunt serpentem fugientem seu fugitivum. Alii derivant vocabulum nostrum mediate a בריח, quod vectem denotat & inde נחש ברח ipsis est serpens vectis. Ultimam derivationem, qui amplectuntur, variant iterum, dum alii hanc, alii illam figuram & qualitatem vectis respiciunt & inde rationem denominationis depromunt. Cum itaque vectis possit considerari, vel ut est in rectam lineam extensa, vel ut teres, vel ut robusta, hinc & serpens vectis appellatur, modo oblongus, modo rectus, modo teres, modo robustus. Verat instituti nostri ratio, ut liti huic Etymologica nos immisceamus & dissentientes componere allaboremus, solliciti nunc magis de sensu verborum quam verbis ipsis, id praecipue inquisituri, quodnam animal per נחש ברח propheta designet. Facem hic nobis praetert C. Vitringa plurimis probans rationibus per נחש ברח aptissime Crocodillum intelligi posse, quam sententiam non possumus non ambabus amplecti manibus. Fusius jam §. 12. demonstravimus Crocodillo proprie nomen Leviathanis competere,

petere, utpote de quo omnia interpretari possumus, quæ Job. XL. & XLI. DEus ipse de Leviathane differit. Non minus de Crocodillo dici potest, quod sit נחש, non solum enim animal æque abominabile ac noxium quam serpens est Crocodillus, sed & præterea in eo serpenti similis, quod ventre humi affixus magis repere quam gradiari videatur, at humi ventre affixum esse & repere est proprium serpentis. Gen. III. 14. Denique nulli bellæ notio rectitudinis melius tribui potest quam Crocodillo, corpore enim & cursu est rectus. Corpus quidem quod atinet, est illud oblongum, teres & vecti fere simile, non potest crocodillus in spiras se convolvere & contorquere ut draco, prohibet enim istud rectitudo corporis. Ceterum cursus Crocodilli adeo est rectus, ut tutissimum illum effugiendi medium sit, si quis in gyros currat, tali enim ratione facile defatigatur hæc bestia & a persequendo defistit (ii).

§. XVI.

Bochartus, quo vix doctior & ingeniosior quisquam in explicandis animalibus sacris, diversam a nobis ingreditur viam, dum per נחש ברר monstruosum quendam piscem a deformi capitis figura Zygænam dictum intelligit. Hunc piscem, quem ingenti robore & crudelitate præditum esse multis testimoniis summa industria undiquaque conquestis probat Bochartus, optime exprimere emphasis vocum נחש ברר arbitrat, est enim נחש ברר juxta mentem Bocharti *piscis in quo aliquid transversum vecti instar, qua in transversum obducta firmantur fores (kk)*. At non videtur rem acutetigisse vir doctissimus non immerito propterea refutatus a C. Viringa. Certe non est vero simile, prophetam per נחש ברר h. l. designare voluisse Zygænam, genus piscium ignotius & Judæis fortasse

C 3

tasse

- (ii) *Ultimam hanc circumstantiam ex docto quodam itinerario probatam dedit Viringa l. c. p. 78.*
 (kk) *Piscis Ζύγαβα ἀπὸ τῆς ζυγῆς nomen trahit, quoniam caput hujus piscis est transversum & instar jugi in latera extensum, qua ratione hunc piscem nobis depingit Bochartus figura ære in-
 omissa melioris illustrationis gratia adjecta vid. Hierozois, Part. II. lib. 5. cap. 13. p. 746.*

tasse æque incognitum ac nobis. Esse autem Zygænam piscem ignotum elucescit vel exinde, quod ipso Bocharto fatente nullus antiquorum scriptorum latinorum mentionem ejus faciat, imo ipse Plinius diligentissimus rerum naturalium scriptor, qui alias summa cura animalia apud Orientales nota tradit, nil plane de Zygæna novit. Taceo jam alia argumenta, quæ C. Vitringa l. c. contra Bochartum profert, unicum tantum moneo, quod scilicet hæc opinio tollat omnem oppositionem, quæ inter Leviathanem Serpentem Rectum & Draconem Marinum intercedere debet, Zygæna enim est proprie draco marinus & propterea eidem non potest opponi, quod tamen juxta mentem prophetæ fieri debere evicimus. §. 14.

§. XVII.

Dantur adhuc alii interpretes, qui tam נחש כרום quam נחש עקרותין explicant de balæna. Partibus horum favent Junius & Tremellius in latina versione sua, Buxtorfius & Coccejus in Lexicis & inter commentatores præcipue S. Schmidius. Si rationem desideres, quare balæna serpens veltis & tortuosus appelletur? Respondet dictatorio supercilio R. D. Kimchi, quia quasi veltis extendit se in mari ab extremitate una ad alteram & in quibusdam locis incurvare se & contorquere cogatur propter maximam ipsius longitudinem (ll). Paralela hæc sunt, quæ Buxtorfius habet, censens תו כרום dici de serpente magno marino seu balæna, quæ immensa sua longitudine veltis in modum vias maris claudit (mm). Adjungi potest duobus illis triumvir Vatablus balænam ideo serpentem tortuosum appellari putans, quia tortuose ambulat in mari, nec ob suam magnitudinem & longitudinem possit se extendere (nn). At quis non videt omnia hæc coacta & longissime petita esse. Sane ridiculam balænae magnitudinem fingunt Kimchius & ejus socii, dum corpus tantæ molis ipsi tribuunt, quod ob magnitudinem suam non possit se extendere in vasto oceano. Quis unquam ejusmodi belluam vidit aut sibi imaginari potest. Videtur hoc sapere fabellas Judæorum de magni

(ll) Adducit hæc verba Kimchii S. Schmidius Comment. in Jes.

p. 240.

(mm) Vid. Lexicon Buxtorfii Minus p. 100.

(nn) Confer. Poli Synopsis Critic. Tom. III. p. 204.

magnitudine Leviathanis (oo), certe ejusdem est farina, ac somnium illud Pseudo Esdræ aut figmentum 70. interpretum ad Job. XLI. 7. egregie fabulantium, quod omnia mundi navigia non sufficiant ad portandam unam squamam de cauda Leviathanis (pp). Placeant hæc ineptiæ, quibus ad palatum sunt, nos non moramur easdem, id saltem notantes, vix aliter fieri posse, quam ut contortis & ridiculis explicationibus indulgeant interpretes, qui *תו כרח* & *תו קקרתו* de balæna intelligunt, cum certe prædicata hæc minime in belluam istam quadrent. Probe hoc intelligens Schmidius ingenue fatetur Epitheta illa serpentis recti & curvi potius tropico quam naturali Leviathani convenire (qq). Imo impossibile suo modo reputamus *תו Rectum* & *Tortuosum*, tanquam prædicata sibi invicem maxime opposita, quadrare in unum subjectum, quin potius duos Leviathanes diversæ naturæ intelligendos esse, suadet tum repetitio vocabuli Leviathanis, tum Epithetorum diversa indoles. Ceterum non indiget operosa refutatione opinio recensita inprimis cum contra regulas §. 14. prolatas duplici modo impingat.

§. XVII.

Nondum itaque dimovemur a sententia nostra, quod *תו כרח* significet crocodillum, superest ut ulterius quid *תו קקרתו* sit, explicemus. Ducem hic iterum sequimur C. Vitrinam, qui *תו כרח* interpretatur de dracone terrestri. Omnes sane uno ore testantur rerum naturalium scriptores, draconem esse animal tortuosum & in spiras volubile, nec dissensus ullus hoc in passu datur, cum omni-

(oo) *Lege, que §. 4. not. g. dicta sunt.*

(pp) *Verba τῶν Septuaginta in textu græco ita fluunt: Πῶν δὲ πλωτὸν συνελθόν δὲ μὴ ἐνέγγουσι βύσσαν μίαν ἐξᾶς αὐτῆς. Per βύσσαν μίαν intelligendum esse μίαν λεπίδα recte cum Olympiodoro monet Cyprianus in Continuat Hist. Animal. Franzii Part. III. p. 2108. Quod autem spurium Esdræ attinet, fingit ille in creatione mundi emeruisse ex aqua duo maxima animalia Bebestoth & Leviathan, quorum unumquodque occupet septimam partem terræ orbis, ita quidem, ut Leviathan teneat septimam partem hœmi Esdr. lib. 4. cap. 6. vers. 49. 52.*

(qq) *Conf. Schmidii comment. in Jes. p. 240.*

omnibus perspectum notumque sit, serpentibus æque ac draconibus proprium esse, ut in orbis & spiras se convolvant (rr). Ceterum terribilis, ingens & crudelissima bellua est draco amplissimo rictu suo homines aliaque animalia majora deglutiens Jer. L. 34, non probabile proinde prophetam in recensione maximarum & sævissimarum belluarum omisisse draconem omnium fortasse terribilissimam. De magnitudine draconis multa cumulat testimonia Bochartus, quorum tamen magna pars fabulosa & supra fidem posita videtur, notabilis hic præcipue Arabis cujusdam in mentiendo audacia, qui draconem duabus parasangis longum se vidisse affirmat (ss). Non minus fabellam redolet, quod ex Plinio & Eliano refert Bochartus, dracones quosdam adeo vehementi gaudere aspiratione, ut super volitantes aves habitu suo attrahere & veluti delicias sibi præparatas deglutire possint (tt). Certe non opus est figmentis ejusmodi ad veritatem illustrandam, sufficit scire draconem esse noxium & venenatum animal Deut. XXXII. 33. Sap. XVI. 10, id satis est, ut evincamus draconem commodum repræsentare symbolum maximorum & crudelium Ecclesiæ hostium.

§. XIX.

Restat adhuc tertius Leviathan, qui a propheta **התנין אשר בים** appellatur. Per **תו** **ביום** distinguitur hic Leviathan a Leviathane serpente recto, seu Crocodillo, & a Leviathane serpente tortuoso, seu dracone terrestri En habes hic tres dracones, seu tres Leviathanes, Crocodillum draconem fluviatilem, draconem terrestrem & draconem marinum. Quid vero per draconem marinum jam intelligendum? Certe nil melius ac rei convenientius quam balænam, stupendum illud opus omnipotentia divina, quod DEUS fecit **לשון בים**

(rr) Satis concinne ideo Virgilius dracones describit per angues im-
mensis orbibus sese volventes *Aeneid. lib. II. vers. 204. Plura
qui desiderat testimonia, evolere potest Bochartum l. c. Part. II.
lib. 5. cap. 16. p. 770. & Veringam Comment. in Jes. Part. II.
pag. 78.*

(ss) Conf. *Hierozoic. Part. II. lib. 3. cap. 14. p. 431.*

(tt) Non dubitat hanc Eliani & Plinii relationem figmentis annu-
merare Ludolfus *Comment. in Hist. Ethiop. p. 162.*

וְרוּחַ יָמִים נִדְרָה לְרִיבֵי: *ut luderet in spatioſo & ampliffimo oceano* Pl. CIV. 25. (uu.) Magnæ molis eſſe balænam & inter marinas belluas maximam, conſtat ex navigantium relationibus & in aprico eſt poſitum, an vero magnitudo ejus ſeſe extendat uſque ad quaterna jugera, ut Plinius nobis perſuadere cupit (xx), id aliis diſquirendum relinquo. Interim negari non poteſt, balænam ex numero illorum eſſe piſcium, qui ex præda & captura minorum vivunt, ideoque imaginem Tyrannorum & perſecutorum Eccleſiæ commodè referre poſſe, id quod erat demonſtrandum,

ſ. XX.

Evolvimus jam & indigitavimus ſenſum litteræ, circa quem multas occuſiſſe difficultates, nemo inſicias ibit, ſed majores ſuperſunt ſcopuli & difficultatum montes, ſi ſenſum ſpiritualem ſub magnificis allegoriis latentem eruere allaboremus. Omnes quidem unanimi conſenſu fatentur interpretes, latere ſub metaphoriſ & ſchematicis prophetiſ ſenſum quendam ſublimiorem & ſpiritualem, at quinam ſit ille & quomodo innotefcat, non tam facili negotio determinare poſſunt. Certe ſumma ingeniſ viſ & judiciſ acrimonia requiritur, ſi quis veritatem non adeo palpabilem ſed potius in profundo Allegoriarum fonte occultam extrahere in lucem velit. Hinc & tot ſententiarum divortia & diverſiſſimæ opinionèſ oriuntur circa

D

pe-

(uu) Sapit ingenium Rabbinicum, cum R. Salamo verba לְרִיבֵי אֲדָמָה ad DEum refert, quaſi DEus cum Leviathane luderet vid. Michaëliſ Annotat. Ueberior. in Hagiog. Tom. I. p. 776. Ceterum quomodo balæna ludat in oceano & in quo luſus ipſius conſiſtat, fuſius explicat Franzius Part. III. cap. 2.

(xx) Plinius Hiſt. Nat. lib. 9. cap. 3. narrat, in indico mari vidèrt balenas quaternum jugerum, i. e., juxta computationem Cypriani l. c. p. 2107, fere millenum pedum, quantum ſpatium quantum uno per diem jugo boum exarari poteſt vid. Fabri Theſaur. ad hanc vocem. Commento Plinii perquam analogon eſt illud Rondeletii, qui mugitum ſeu ſtrepitum balæna adeo terribilem ſingit, ut duabus Leucis audiri poſſit vid. Bocharti Hierozoic. Part. I. lib. 1. cap. 7. pag. 47.

pericopæ nostræ explicationem, quarum potiores recensere & tum ipsi vires ingenii nostri tentare studebimus. Compendiosissimam viam sibi elegisse videntur illi, qui verba vaticinii nostri generali sensu capiunt, atque sub schemate immanium belluarum omnes Ecclesiæ hostes tam spirituales, quam corporales præfigurari statuunt. Adstipulantur hisce Junius & Tremellius dicta de Leviathane recto & tortuoso explicantes *de omni sublimitate, quæ adversus DEUM se extollit* (yy). Consentit Glassius (zz) nec non Dorscheus Annotationibus in Esaïam ad h. l. Nos lubentes concedimus posse generali ejusmodi explicatione omnes evitari difficultates, quæ ex speciali Exegesi oriuntur, verum tali ratione vix mentem prophetæ nos exhaustisse gloriari possemus, utpote qui speciali illa trium Leviathanum descriptione & characterisatione aliquid singulare & speciale intellexisse videtur.


§. XXI.

Alia & a præcedente diversa est Hypothesis Hieronymi & plurimorum antiquorum, qui ut operosa inquisitione trium subjectorum, quæ tribus Leviathanibus respondeant, supersedere possint, excogitarunt unum subjectum, in quod satis congrue omnia quadrant, quæ propheta nostro in vaticinio dixit. Constituerunt itaque diabolum objectum judicii divini hic prædicti allegantes Apoc. XII. 9. ubi diabolus *δεδάκων ὁ μύγας ἔφης ὁ ἀρχαῖος* nominatur. Et sane facili negotio quicquid de Leviathanibus dicitur, diabolo applicari potest. Sic aptissime diabolus comparatur balæna ob vires & potentiam formidandam Eph. VI. 12. qua sicut balæna inter pisces marinos, sic satanas inter impios dominium exercet inde & Princeps imo DEUS mundi vocatur 2. Cor. IV. 4 (aaa). Serpenti assimilari potest ob astutiam fumnam, dum serpentis instar callidissimus Genf. III. 1. & Evam seduxisse fertur *ἐν τῇ πειραστικῇ ἀνδρῶν*. 2. Cor. XI. 3. Noxiam etiam

(yy) Conf. Tremellii Notas Versioni, V. T. adjectas ad h. l.

(zz) In Philolog. Sac. lib. V. Tractat. I. cap. 12. p. 1787.

(aaa) Mare apud Prophetas & in Apocalypsi baud raro denotat multitudinem gentium Es. XXI. 1. Apoc. XVII. 15. Optime proinde diabolus *דָּרָסֵן הַיָּם* Draco marinus appellari potest, utpote qui in vasto incredularum gentium mari dominatur efficaciter operans in filio incredulitatis Eph. II. 2.

etiam & serpente perniciosius est diabolus, venenum habens quovis viperino pejus, viperinum enim virus per solum corpus, diaboli autem per totam animam sese effundit. Ceterum abominabilis spiritus est diabolus æque ac serpens est animal detestabile, quod humana maxime horret natura, pari modo & diabolus cane pejus & angue fugiendus. Porro, quod draco appelletur diabolus non mirandum, est enim ὄφις ὁ ἀρχαῖος  serpens antiquus, ex serpentibus autem decursu multorum annorum dracones fieri, fama est (bbb). Draco est animal terribile, sed terribilior satanas peccatores sæpius ita terreas, ut ad desperationem adigat. Est etiam savus & crudelis instar draconis ἔχων θυμὸν μέγαν erga Ecclesiam, quam savissimis persecutionibus ut draco amplissimo rictu suo deglutire gestit. Apoc. XII. 12, 13. Ulterius vecti assimilatur diabolus ob robur summum & longe lateque per totum orbem sese extendens imperium (ccc). Cum vero το מרד etiam verti possit fugiens, fugivus, putant nonnulli hoc attributo indicari celeritatem diaboli, utpote qui per totum mundum περιπατεῖ tanquam leo rugiens 1. Petr. V. 8. qui divagatur & obambulat terram Job. I. 7. Job II. 2. (ddd). Aliam adhuc meditationem profert Glassius (eee), dum το מרד transfert Profugum hacque voce indigitari censet apostasiam diaboli, siquidem non mansit perfidus ille Spiritus in integritate ipsi concreata, sed celeriter a Deo aversus & profugus factus, ac propterea in pœnam hujus apostasie in perpetuam inquietudinem translatus, ut semper circumvagetur nec unquam quietem inveniat Luc. XI. 24. Tandem & serpenti tortuoso per omnia similis est diabolus, non solum ob inhaerentem ipsi malitiam, qua nihil recti in se habet (fff) sed etiam

D 2

ob

(bbb) Teste Bocharo in Hierozoico Part. II. lib. 3. cap. 14. p. 439.

(ccc) Hieronymus diabolum ideo serpentem vectis vocari arbitrat, quia multos suo carcere clauferit & propria subjecerit potestati, probe ob hanc explicationem castigatus & reprehensus a C. Virin-ga l. c. p. 77.

(ddd) Conf. Michaëli Notas ad Esa. XXVII. 1.

(eee) In der Prophetischen Spruch Postill. p. 488.

(fff) Sic το מרד cum patre quodam Ecclesiastico interpretatur Glassius in der Prophetischen Spruch Postill. l. c.

ob insidiosas fraudes suas & mille fallacias, quas generi humano struit. Torquet se infernalis serpens, ubi recta & aperta vi ingredi nequit, omnes assumere formas paratus est fallax ille Polypus, modo transformare se in angelum lucis 2. Cor. XI. 14. & cornua agni simulare Apoc. XIII. 11, modo sub larva rugientis Leonis homines terrere assuecit, adeo quicquid in ipso est, scaret tortuosis dolis, fraudibus & Hypocriti (ggg). Sed in quem meditationum abyssum acripimur, quorum devehunt nos cogitationes nostræ? Certe, si opus esset mille adhuc ejusdem farinae observationes & reflectiones morales ad h. l. formari atque deduci possent, verum num ex textu immediate fluant, num propheta easdem intendat, id sane alia & paulo altioris indaginis quæstio est? Si decisionem hujus quæstionis Schmidio committere volumus, dicitur ille *nec mediate nec immediate h. l. agi de diabolo imo ne minimum quidem hujus rei vestigium in textu deprehendi posse (bbh)*. Et sic utique sese res habet. Quis crederet tria diversa nomina, tria non distincta solum sed & sibi invicem opposita prædicata unicum saltem designare subjectum & de solo diabolo interpretanda esse, cujus tamen neque in Antecedentibus neque in consequentibus vel verbulo mentio fit. Taceo jam argumenta §. 4. contra hanc sententiam adducta, quæ totam rem faciunt,

§. XXII.

Melior sane & menti Spiritus Sancti convenientior videtur sententia illorum, qui per belluas a Propheta descriptas magnos Reges sævos Ecclesiæ persecutores intelligunt. Mos est scriptoribus sacris æque ac profanis communis, ut homines belluinis vitiis deditos comparent cum brutis & feris animantibus, imo nomina belluarum eis imponant. Vides inde crudeles nominari leones Pf. X 9 Syr. IV. 35, astutos & fraudulentos, vulpes Ezech. XIII 4, immundos & fordidos, porcos 2. Petr. II. 22, rixosos, canes Pf. XX. 17. Iuperbos, pavones &c. (iii).

Prin-

(ggg) *Brevissimis verbis ea, quæ jam fusius dicta sunt, complectitur Godfried Olearius in Annotat. Bibl. Theoretico Practicis ad h. l. p. 159. Nota dici diabolum Leviathan, quia in mundo velut in mari cete discurret, serpentem ob venenum & astutiam, vestem ob vastitatem, tortuosum ob fraudes,*

(bbh) *Conf. Schmidii Comment. in Jes. p. 240.*

(iii) *Sicuti impii plerumque feris & noxiis ita pii mansuetis & uti-*

Principes vero & Reges Mundi quantum dignitatis fastigio præ aliis eminent hominibus, tantum & vitia eorum magis conspicua atque nociva & hinc potiori adhuc jure magnis & perniciosis belluis comparari possunt. Et quidni impios tyrannos diris persecutionibus ecclesiam Christi vexantes diceres belluas, quos toties ipse DEus in verbo suo Dracones, Leones, Crocodillos Porcos silvestres & feras bestias nominat. Possit id infinitis dictis ex S. Scriptura probari, nisi jam nobis otium fecisset doctissimus Vitringa, (kkk) pauca tamen hic delibare fortasse non inutile erit. Sic Pharaonem Regem Ægypti nomine Crocodilli insigniri, patet ex gemino Ezechielis dicto Ezech. XXXIX. v. 3. cap. XXXII. 2. Non mitius de Nebucadnezare loquitur ecclesia Jer. LI. 34. **בלעני כחנן מלך כרשו מערני**: *Deglutivit me ut draco, implevit ventrem suum deliciis meis* (lll). Pari ratione Asaphus paganum Tyrannum quendam vocat **מיער חזיר** *Porcum silvestrem* (mmm) Pf. LXXX. 14. Alius sævus ac barbarus Rex Palm.

D 3

LXVIII.

libus assimilari solent animalibus, Sæpius hinc pii vocantur oves, columbe, hirundines Psalm. LXXXIV. 4. Cant. II. 14. cap. V. 8. Es. XXXVIII. 14. Job X. 4. Probe interim observandum, nullum animal adeo malum & noxium esse, ut nihil plane boni habeat, aut non aliqua ex parte laudari possit & hinc pro diversa respectu modo mali modo boni imaginem referre. Sic Leo inruitu feracitatis & voracitatis est symbolum crudelis Pf. X. 9. sed respectu fortitudinis & generositatis imago Christi Apoc. V. 5. collat. Gen. XLIX. 9. pari ratione & serpens, qui abominabile alias animal & imago diaboli existit, commendatur tamen a prudentia, Matth. X. 16.

(kkk) Comment. in Jes. Part. II. p. 79.

(lll) Elegantissima Metaphora templum & inprimis preziosa ejusdem vasa dicuntur deliciae Ecclesie Judaice, quas belluina rapacitate ad se pertraxerat Nebucadnezar draconi voraci ideo assimilatus.

(mmm) Antiochum Epiphanem intelligi per porcum silvestrem putat C. Vitringa. l.c. & Michaelis in Annotat. Ulterior. in Hagiog. Tom. I. p. 613. Contra Sal. van Till Nebucadnezarem h. l. designari arbitrat. Quicquid sit, hoc manet certissimum, paganum quendam Tyrannum diris persecutionibus instar porci silvestris vineam Ecclesie conculcantem h. l. describi.

LXVIII. 31. appellatur קָרִי בְּרִיחַ *Bestia arundineti*. Jeremias Nebucadnezareem vocat לֵאָוִן *Leonem* Jer. IV. 7. cap. V. 6. Duces Pharaonis תַּנִּינִים appellat Pfaltes Pl. LXXIV. 13. Daniel summa imperia impiis Regibus administrata sub schemate terribilium bestiarum depingit Dan. VII. 3. Plura adhuc exempla suppeditant loca Es. XIV. 9. Pl. XXII. 13. 14. Pl. X. 9. Si rationem desideres, quare impii Reges & Principes nominibus belluarum insigniantur in S. Scriptura? Respondeo. Dicuntur belluæ non solum ob vitia belluina, quod pari modo ac belluæ feris ac indomitis affectibus suis indulgeant & hinc instar belluarum rapaces, crudeles, sanguinolenti & alienæ prædæ cupidissimi existant, sed præcipue ob magnam nocendi potentiam & terrorem, quem incutiunt hominibus, addo, quod ejusmodi lævi ac injusti imperantes æque abominabiles sint in oculis divinis ac fera monstra iâ oculis hominum (nnn).

s. XXIII.

Non sufficit vero, ut cum Münstero (ooo) in generali hac contemplatione subsistamus & tali ratione per duos Leviathanes & draconem marinum quosvis Reges aut Regna mundi Ecclesiæ adversa, & modo aperta vi, modo clandestinis insidiis eidem nocentia intelligamus, sed specialius est inquirendum, quinam sint illi Reges aut Regna peculiari modo a Propheta denotata ac terribili hocce judicio divino visitanda. Diversas hic ingredi vias interpretes videmus. Sunt qui per duplicem Leviathanem Regnum Seleucidarum Syriacum &

La-

(nnn) Non possum, quin hic annectam elegantissima Virringæ verba post illustrem inter Reges impios & belluas comparationem in loquencia: Hic aspectus est injustorum atque ferocium Principum spiritualis, longe diversitas ab aspectu mundanæ gloriæ carnali, cujus fulgor tumo quem spargit, mortalium judicia obscurat. l. c. p. 79.

(ooo) Satis superficialiter circa explicationem vaticinii nostri versatur Münsterus. Per Leviathanem nil aliud intelligit quam לֵאָוִן רִבִּי *Piscem Magnum*. Si autem parvo rationem desideres, quare Magni Reges & Principes Magnis Piscibus ac Serpentibus comparentur? En reddit hanc rationem Münsterus, quia veluti fugaces & tortuosi serpentes in magnis Regnis jam se extendunt & jam contrahunt. vid. Critic. Sacr. Tom. IV. p. 4954.

Lagidarum Ægyptiacum intelligunt ea ratione ac statu, quo Regna hæc tempore Antiochi Epiphaniis fuerunt. Alii antiquum Romano Paganum Imperium a Constantino M. destruendum hic indigitari censent. Alii alia adhuc Regna in amplissimo isto Conjecturarum campo in scenam producunt. Nos ut mentem nostram distinctius proponamus, & certum ab incerto separemus, præsupponimus describi per duos Leviathanes duo Regna potentissima Ecclesiæ adversa juxta §. 22, tempore Oeconomix veteris & quidem circa periodum Captivitatis Babylonicæ florentia juxta §. 5. & 7. Hisce præsuppositis nil convenientius ac magis accommodatum per duplicem Leviathanem rectum & tortuosum intelligere possumus, quam Imperium illud Assyrico Babylonicum & Ægyptiacum. Per Draconem autem Marinum censemus collectivè Reges Judææ finitimos in vasto mari gentium dominantes (ppp) præcipue tamen Regem Arabiæ denotari. Valida ad sententiam hanc stabiliendam argumenta subministrat nexus vaticinii nostri cum Antecedentibus & Consequentibus §. 3. illustratus, cui addi potest, quicquid de implemento Oraculi nostri §. 7. differuimus. Maximum autem robor affert sententiæ nostræ Versiculus 13. cap. 27, ubi exules Judæi ex terra Assyriæ & Ægypti redeundi dicuntur. Reditus hic captivorum Judæorum & restitutio in pristinam libertatem supponit judicium quoddam divinum in eos, qui Judæos hæctenus in terris suis tanquam in carcere quodam detinuerant. Erant vero hi Tyranni Rex Babyloniæ & Ægypti, qui proinde gladio Dei duro & valido visitandi & occidendi erant, antequam oppressis libertas promissa dari potuerit. Optime etiam prædicata illa serpentis Recti & tortuosi Regibus Babyloniæ & Ægypti conveniunt. Aperta vi & manifesto bello Ecclesiam iafestabat Rex Babyloniæ, contra tortuosos insidiis & clandestinis machinationibus Rex Ægypti. Nebucadnezar erat Leviathan ille serpentis Rectus, qui aperto rictu Judæos deglutire videbatur, Ecclesiæque destructo templo & subversa Republica plenarium exitum minabatur. Contra Pharaon Rex Ægypti astu & fraudibus cuncta agebat

(ppp) Favet nobis versio Lutheri, que ebraicum singulare נח נח red-
dit per pluralem die Drachen im Meer. Nescio autem quo casu
factum, ut septuaginta omiserint in versione sua exprimere το
δὸν ἰχθυον, absque mentione enim facta maris, in quo draco ille
reperiendus erat, vertunt simpliciter ἀνδρῶν τὸν ἀγαυόντα.

bat, simulabat amicitiam, promittebat auxilia rebellibus Judæis hisque dolis effiebat, ut illi pertinaciter sese Regi Babyloniz ad proprium exitum opponerent. Ob tortuosas hæc fallacias, sapius in S Scriptura appellatur Rex Ægypti הרצוף הקנהרזו *Calamus conquassatus*, qui fallit innitentes ipsi. Es. XXXIV. 6. Ezech. XXIX. 12. Ceterum ex alio etiam fundamento firmissime sententiam nostram demonstrare atque de veritate ejusdem plane convinci possumus. Constat siquidem Reges Assyriæ & Ægypti jam temporibus Esaie maxima valuisse potentia multasque calamitates judæis illo jam ævo intulisse (999). Scopus itaque prophetæ videtur potissimum requirere, ut contra imminens a potentibus hæc Regibus periculum animos piorum confirmet & consolatione hac dulcissima erigeret, fore, ut tum Rex Assyriæ quam Ægypti, qui nunc immanium instar belluarum Hierosolimam devorare viderentur, aliquando ipsi excendantur & justo Dei judicio plane destruantur.

s. XXIV.

Superfluum censeri posset, si satis jam declarata & probata opinione nostra addamus adhuc multa interpretum testimonia, seu magnum catalogum auctorum, qui idem nobiscum sentiunt. Non possumus tamen nobis temperare, quin ad confirmandam veritatem paucos saltem & selectos producamus testes brevissimis simul ostendentes, quo passu recensendi auctores nobiscum conveniunt & quo dissentiunt. Primus in scenam prodeat R. Jonathan Targumista, qui vaticinii nostri verba notabili hac paraphrasi illustrat בחכמה יסער יי בחכמה רבתה תקפתה וחכמתה על מלכה דאתררב כפרעה מלכה קדמאה ועל מלכה דאתנאי כסנחריב מלכה תנינא ויקטור ית מלכה דתקוף כתנינא די בימנא *Tempore illo visitabit Deus gladio suo grandi, forti & robusto super Regem, qui magnus factus est ut Pharaon Rex Primus & super Regem, qui elevatus est sicut Sancherib Rex Secundus & occidet Regem, qui fortis est, sicut draco qui est in mari.* Apparet R. Jonathan per serpentem Rectum & tortuosum intellexisse sensu litterali Reges Ægypti & Assyriæ, eosque typos quasi constituisse aliorum duorum Regum ipsius forte ævo viventium, quos propterea modestiæ aut potius metus causa non audet nominare. Magis dilucide

&

(999) Conf. de Rege Assyriæ Esa. XXXVI. & XXXVII. toto. De Rege Ægypti vana spe fœderum Judæos deludente. Esa. XXX, & XXXI. tot.

& distincte mentem suam exposuit B. Lutherus noster, cum Leviathanem utrumque Regnum Assyriae & Aegypti, cetum autem generaliter quavis Regna & Imperia DEO & Religioni veræ adversa adumbrare putat: *Fore enim, ait, ut sub adventum Christi Deus visitet per Romanorum gladium Aegyptios, Assyrios & Judeos & omnia alia Regna mundi, ut ita pax in toto orbe patretur & evangelium tunc per apostolos in omnia loca spargi possit (rrr).* Dissentit hæc sententia a nostra in eo, quod implementum prophetiæ collocet in temporibus adventum Christi in carnem proxime præcedentibus, nos autem illud ad tempora Captivitatis Babylonicae retulimus § 7. Ceterum nec sensum vaticinii adeo late esse extendendum, ut ad omnia Regna mundi applicari possit, nec per **חרב גרו** gladium Romanorum sed Persarum intelligendum esse arbitramur. Omnium proxime accedit sententiæ nostræ S. Schmidius sensum vaticinii hujus sequenti determinans paraphrasi, *quod velit Dominus visitare in ira sua tum Regnum Babylonicum, in quo Judei captivi tenendi erant juxta prophetias præcedentes, tum Regnum Aegyptiacum, in quod, qui fugerunt & dispersi sunt, retenti quoque sunt & ab eodem aliis quoque varia illata mala: Quodque velit in ista visitatione judaicam Ecclesiam ex captivitate Babylonica & ab Aegyptiorum molestiis liberare atque facere ut tandem sub N. T. restoretur (sss).* Hactenus optime nobiscum conspirat Schmidius, si autem ulterius quæras, quid per draconem marinum intelligat? Dicit, insulas maris per cetum denotari, utpote quæ optime cum magnis oceani piscibus comparari possint (ttt). Facile

E

huic

(rrr) Verba hæc Lutheri ex Schmuckio adducta multis ornat encomiis C. Vitringa, solus enim Lutherus & ejus sequaces ipsi *ἀνδραγόρα* τῆν ἕπαρτον loqui videntur. Comment. in Jes. l. c. p. 81.


(sss) Conf. Schmidii Comment. in Jes. p. 241.

(ttt) Per draconem marinum insulas maris significari dudum antea Schmidium observavit R. Jarchi, cujus verba ad b. l. notari merentur **והרג ארץ התנן אשר כיום הוה צור שהוה**

ראש לכני עשו והיא יושבת בלב ימים וכן כתיב

קרואים איי הים והם ינים. Per tyrum, insulas ma-

ris & ינים seu grecos intellexisse Jarchium Christianos bene monet C. Vitringa specimen hoc adducens subdole malitie Judæorum in Christianos, ex quo patet, quanta obscurant arte stilum suum, ubi de Christianis loquuntur.




huic subscriberem hypothefi, fi modo probari poffet, infulas maris nomine cetorum venire in S Scriptura, at vero hoc ne unico quidem exemplo probavit Schmidius, ut taceam, non satis commode poffe infulas maris ad latus Magnorum Regum Affyriæ & Ægypti poni, quin potius necesse fit, ut per draconem maris æque ac per duos Leviathanes Regem aliquem intelligamus.

§. XXV.

Adducendæ jam & difcutiendæ variæ aliorum interpretum opiniones effent, nifi hoc anguftia differtationis limitibus fuis circumfcripta prohiberet. Si tamen alicui multas de textu noftro evolere fententias placet, Schmidium ac Vitringam adire poteft, qui magno numero fententias antiquorum & recentiorum recensent, doctæque difquifitione cuncta illuftrant. Minus etiam folliciti de fenfu Myftico fumus, determinato enim & explicato fenfu proprio litterali, quid facilius quam mille ejusmodi fenfus Myfticos & accommodationes textus adornare, utpote quæ ab ingenio, quo quis poller & a fecunditate meditationum nostrarum dependent. Ampliffimam sane inventionum fegetem fubminiftrat hypothefis illa C. Vitringæ, qua fupponit *Spitum Dei in brevi tabella voluiffe exhibere fpecies Regnorum & Imperiorum mundi, qua perfecutionem intencarunt Ecclefie Dei in his terris (uuu)*. Ad hunc ductum tota Hiftoria Ecclefiaftica quid aliud eft, quam implementum vaticinii noftri Myfticum, infinita exhibens exempla Regum & Regnorum, quæ Ecclefiam Dei duris affixerunt perfecutionibus. Ceterum fpecimen quoddam elegantiffimum fenfus Myftici ex textu noftro deprompti fuppeditat doctæ præfatio Tractat. Polem. *Abfertigung 24. Wäbftlicher lügenhaftten Lehren*, ubi magno eruditionis apparatu fummoque ingenii acumine omnia Antichrifto Romano applicata funt, quæ de Leviathanibus in dicto noftro dicuntur. Siftit vero & ipfa Differtatio nofta §. 21. exemplum aliquod Myfticæ expofitionis, diabolo enim ibidem accommodatur, quæ de Leviathane Serpente & Dracone Marfno in Vaticano noftro perhibentur. Hæc, B. L., fufficiae fpecimina, plura fi defideras, ipfe ingenii vires in fpatiofiffimo hoc inventionum campo exercere poteris, nobis ulterius excurrere non placet, fed cum jam haud procul a portu fimus vela contrahimus & differtationi noftre exoptatum imponimus finem.

יהוה שם יתרה אלהינו מכורד אמן :

(uuu) *Comment. in Jef. Part. II. p. 82.*



Fd 5611

ULB Halle

3

002 715 18X





71+306

VD 77

NC







663.
75
42
DISSERTATIO PHILOLOGICA,

SISTENS

TRIPLICEM LE-
VIATHANEM A DEO
JUDICANDUM,

Ex Esa. XXVII. 1.

QUAM

DIVINIS SUB AUSPICIIS,

JUSSU

AMPLISSIMÆ FACULTATIS

PHILOSOPHICÆ,

PRO RECEPTIONE IN EANDEM,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

P R Æ S E S

M. JO. BERNHARDUS STEIN,

RESPONDENTE

JOH. GEORGIO BOCK,

REG. PRUSS.

ANNO MDCCXXIII. DIE FEBRUARII.

REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.

